Q. D. B. V.

10

DE

SENECA MEDICO

ID EST

DE QVIBVSDAM VTRIVSQVE SENECAE SENTENTIIS MEDICIS

DISPVTATIO PRIMA

QVAM

PRAESIDE

IO. IACOBO KIRSTENIO

MED. DOCT. ET PHYSIOL. PROF. PVBL. ORD.

IN CYCLO ACADEMICO

PLACIDAE PHILIATRORVM DISQVISITIONI

EXPONIT

ANDREAS IACOBVS KIRSTEN

ALTORFINVS

A. D. XXVI MART. A. S. R. CIↃ IↃCCXXXVIII.

ALTORFII

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI VNIV. TYPOGRAPHI.





PRAEFATIO



Res uulgo commemorantur SENECAE: *Primus* M. ANNAEVS SENECA; *qui, annotante* LIPSIO, *domo Cordubensis fuit, professione* Rhetor: *natus ante bellum ciuile Caesarianum, superuixit ad Claudii circiter principatum; cuius supersunt* controuersiarum et suasoriarum Libri: *ex quibus, iudice eodem* LIPSIO, comitas, lepos, eruditio et facundia quaedam simplex, facile apparet. (*a*) *Alter est* L. ANNAEVS SENECA, *Rhetoris illius filius*, Philosophus *cognominatus; Neronis quondam praeceptor*, uir excellentis ingenii et doctrinae *dictus* COLVMELLAE, Libr. III. de re rustic. cap. 3. *Ac* cuius multae ac magnae uirtutes fuerunt, censente QVINTILIANO, Lib. X Instit. Orat. cap. I, ingenium facile et copiosum; plurimum studii; multarum rerum cognitio. Tractauit etiam omnium fere studiorum materiam. *Ex sententia* CAVSSINI, de eloquentia sacra et humana, Libr. III, cap. 14, parem ingenio non habuit, et admirandus potius uidetur, quam laudandus. *Quem inprimis* LIPSIVS laudatissimum et utilissimum inter omnes ueteres scriptores, ac uirtutis studio paene christianum, *praedicauit.* (*b*) *Tertius denique est* SENECA Tragicus, *siue Auctor X* Tragoediarum Latinarum; (*c*) *quem nonnulli*

A 2 *pro*

(*a b c*) Videatur LIPSIVS *Libr.* I. *Elector.* cap. I. et in *Vita L. Annaei Senecae*, huius operibus a FED. MORELLO editis praemissa; item ANDREAS SCHOTTVS in *Praefat. ad Senecam Rhetorem*; conf. IO. ALBERT. FABRICIVS *Biblioth. Latin.* Vol. I, p. 353. et Vol. II. *pag.* 494.

pro filio SENECAE Philoſophi, *et nepote* Rhetoris, *habent. Alii easdem Tragoedias, grandi et illuſtri ſtilo ſcriptas, referunt etiam ad* SENECAM Philoſophum; *alii ad* M. ANNAEVM LVCANVM; *pars ad uarios auctores.* SENECAM *uero* medicum *fortaſſe nemo adhuc nominauit. Et caue, putes, a me alium, eumque a tribus Senecis iam recenſitis, diuerſum, nunc produci. Ego enim non conſtitui, niſi ſententias quasdam, ad artem ſalutarem pertinentes, modo ex* SENECA Philoſopho, *modo ex* Rhetore, *depromere, et aliquantum illuſtrare, maximeque diſpicere, utrum illae ſententiae antiquiorum recentiorumque Medicorum doctrinis, principiisque medicinae, congruant, nec ne? De* SENECA Tragico *nihil adhuc polliceor; cum in eius Tragoediis nondum eius generis ſententias quaeſiuerim; neque, in tralatitia opera lectis, in tales inciderim. Cum uero, et ex teſtimonio aliorum ſcriptorum, et ex relictis tam egregiis ingenii monumentis, ſatis conſtet, latiſſime patuiſſe ſummam Senecarum eruditionem; mirum non eſt, eos etiam adyta medicinae penetraſſe, et artem ſalutis humanae praeſidem, aeque, ac philoſophiam interiorem et iurisprudentiam, et eloquentiam, et quarumuis liberalium literarum ſtudia, pulcherrimo nexu inter ſe iunxiſſe. Mihi igitur, ut opinor, licebit eodem iure huiusmodi ſententiis ex* SENECA *repetitis, atque more disquiſitionum Academicarum illuſtratis, titulum de* Seneca Medico *inſcribere; uti uiri eruditi iam de* Seneca Chriſtiano, *et de* Seneca Theologo, (*a*) *item et de* Cicerone Theologo (*b*) *ac* Medico, (*c*) *de*

(*a*) AEGIDIVS STRAVCHIVS, 1668. IVSTVS SIBERVS; 1675; DIONYSIVS etiam GOTHOFREDVS iam ad inſtar locorum communium e SENECA collegit, at ſine illuſtratione exhibuit, *Theologica, Iuridica, Ethica, Oeconomica, Politica, Grammatica, Rhetorica, Hiſtorica, Dialectica. Phyſica, Medica, et Mathematica.*

(*b*) IO. ANDREAS SCHMIDIVS, 1698. etc. IO. PHILIPP. TREVNER; *de Cicerone Theologo* 1700.

(c) *de* Virgilio Iurisconsulto, (d) *et similibus argumentis simili tractandi ratione disquisiuerunt. Neque uero hoc institutum meum inutile, aut harum rerum curiosis prorsus iniucundum, fore existimo. Sic enim illustrantur* SENECAE *utriusque loca quaedam; sic et ueterum et recentiorum medicorum placita identidem inter se conferuntur; sic animi Philiatrorum ad euoluenda tam praestantium scriptorum scripta magis excitantur, atque deducuntur; sic et iidem disputaturi in promtu habent uaria artis salutaris argumenta; de quibus et facili opera, neque sine animi oblectatione, disquirant. In sententiis uero proponendis, nullis certi ordinis legibus iam me adstrictum uolo.*

(c) IO. SAMVEL BERGER, Vitemb. Saxo, de *Cicerone Medico*, A. 1711. Addatur ADAM. BRENDELII Dissertatio de *Homero Medico*: A. 1700.

(d) V. C. ERHARDI REVSCHII, Prof. Helmstad. disquisitio de *P. Virgilio Marone iureconsulto* ex Eclog. III, u. 17 - 24. A. 1720.

I.

SENECA *Epistol. XXII.*

Non potest medicus, per epistolas, cibi, aut balnei, tempus eligere: uena tangenda est.

CVm SENECA, *Philosophus*, loco citato, suaderet Lucilio suo, ut hic se educeret ex occupationibus speciosis et malis; addidit, id, quando, aut quemadmodum, fieri deberet, ex longinquo neminem satis suadere posse: propterea, quod *quaedam non nisi a praesente recte monstrentur*, et quod aliquando quasi *cum ipsis rebus sit deliberandum*. Quam sententiam moralem ut illustraret, usus

 est

eſt ſimilitudine a Medico petita, cuius praeſentiam, ad diaetam certam praeſcribendam, aut remedia ordinanda, aliquando etiam maxime neceſſariam eſſe, dixit. Scilicet in corporis atque animi medicina ſimilitudinem quandam iamdudum agnouere ueteres. Vnde et ipſe CICERO: (a) *Quidnam eſſe*, inquit, *cauſſae putem, cur, cum conſtemus ex animo et corpore, corporis curandi tuendique cauſſa, quaeſita ſit ars eius, atque utilitas, deorum immortalium inuentioni conſecrata: animi autem medicina nec tam deſiderata ſit, antequam inuenta; nec tam culta, poſteaquam cognita eſt; nec tam multis grata et probata, pluribus etiam ſuſpecta et inuiſa?* Sed nobis hoc loco non tam conſiderandum eſt, quid de animi, quam quid de corporis, medicina, dixerit, ſtatueritque, SENECA? Hoc nempe iudice, Medicus abſens, non ubique et ſemper officio ſuo ſatis fungi poteſt, *per epiſtolas:* ſiue intelligas epiſtolas ab ipſo Medico ſcribendas, quibus non ſemper omnia conſilia aegrotanti obſeruanda, tam commode comprehendi, aut tam accurate pleneque, quam coram, exponi poſſint; ſiue accipias pro epiſtolis ab ipſo aegrotante, aut ab aliis, ad Medicum ſcriptis; cum hi ſaepe non minus, ac rudes internuncii, ueras morbi cauſſas, et qualitates, aliasque neceſſarias circumſtantias, indicare neſciant; neque tunc Medicus idoneam et ſufficientem medendi rationem inire atque praeſcribere facile ualeat. Hinc adeo bene arguit SENECA, ad accuratiorem curam adhibendam, omnino requiri praeſentiam Medici. Loquitur autem Philoſophus τροπικῶς, et ſpeciem pro genere, partem pro toto, ponit; dum ait, *uenam eſſe tangendam*; cum praeter uenae tactum, omnino Medico prudenti plura ſint obſeruanda. Vbi notandum, etiam hoc loco *uenam* pro *arteria*, nominari; cum *pulſus* non

(a) Libr. III, cap. I. *Quaeſtion. Tuſcul.*

non tam in uenis, quam in arteriis exiſtat. Sed ita iam ueteres Medici plerumque iſta nomina miſcuerunt; maxime, cum Latini deſtituerentur nomine Latino, quo *arterias* proprie deſignarent; niſi quod deinceps has, diſcriminis cauſſa, uocarint *uenas uitales*. Certe CICERO ipſe, (*f*) ex uenis indicia morborum capienda docet. *Medici*, inquit, *ſigna quaedam habent ex uenis et ex ſpiritu aegroti; multisque ex aliis futura praeſentiunt.* Quamquam idem alibi (*g*) diſcrimen quoddam; ſed id hodiernis phyſicorum principiis non ſatis conueniens, agnoſcat. *Sanguis*, inquit, *per uenas in omne corpus diffunditur, et ſpiritus per arterias.* Etiam PERSIVS (*h*) *uenas* pro *arteriis* poſuit. *Tange, miſer, uenas; et pone in pectore dextram.* Arteriae enim pulſu dant ſignificationem bonae malaeue ualetudinis. Sed et Medici imponebant aliquando pectori manum, ut explorarent, qualis eius eſſet palpitatio. Quid? quod et ipſe princeps Medicorum, HIPPOCRATES, (quod iam obſeruauit celeberrimus SCHVLZIVS, (*i*) cuius nomen mihi ſemper charum erit et uenerabile) uocabulo Graeco Φλέψ, ſimiliter tam generalem tribuit notionem, ut non ſolum *uenam*, ſed etiam *arteriam*, et *neruum*, denotarit. GELLIVS (*k*) uero, iam *imperitiam loquendi* uocat, ſi quis dicat, *attingere uenam*, adeoque uenam pro arteria nominet. An uero idem ibi *uenam* ab *arteria* accuratius, quam CICERO, diſtinguat, non obſcure ex his eius uerbis intelligitur: *Vena*, inquit, *eſt conceptaculum ſanguinis, quod ἀγγεῖον Medici uocant, mixti confuſique cum ſpiritu naturali; in quo plus ſanguinis eſt, minus ſpiritus. Arteria eſt conceptaculum ſpiritus naturalis mixti confuſique cum ſanguine; in quo plus ſpiritus eſt, minus ſanguinis.*

Multo

(*f*) Libro II. de *Diuinatione*, cap. 30. (*g*) Libro II. de *Natura Deorum* cap. 55.
(*h*) Satyr. III. uerſ. 407. (*i*) Vid. V. C. SCHVLZII *Hiſtor. medic.* p. 234.
(*k*) Libr. XVIII. *Noct. Attic.* cap. 10.

Multo rectius recentiores Medici, et inter eos inprimis Vir omni laude maior, D. D. HEISTERVS, (l) eas definire solent: *Arteriae, sunt canales, ait, siue uasa elastica, pulsantia, conica, sanguinem ex corde ad omnes reliquas partes deferentia: Venae uero uasa instar coni inuersi, non pulsantia, sanguinem ab omnibus partibus ad cor reducentia.* Sicuti autem omnino constat, ex arteriae tactu haud exigua prosperae aduersaeque ualetudinis, et naturae aegrotantis, indicia capi posse; ita tamen magna quoque circumspectione opus est, ne et exinde forte fallamur. Haud enim prorsus de nihilo est, quod de obseruatione pulsus uenarum, siue arteriarum, tradit CELSVS: (m) *Venis, inquit, credimus, fallacissimae rei; quia saepe istae lentiores celerioresque sunt, et aetate, et sexu, et corporum natura. Et plerumque satis sano corpore, si stomachus infirmus est, nonnunquam etiam incipiente febre, subeunt, et quiescunt: ut imbecillus is uideri possit, cui facile laturo grauis instat accessio. Contra saepe eas concitat, et resoluit, sol, et balneum, et exercitatio, et metus, et ira, et quilibet alius animi affectus, adeo, ut cum primum Medicus uenit, solicitudo aegri dubitantis, quomodo illi se habere uideatur, eas moueat. Ob quam caussam periti medici est, non protinus, ut uenit, apprehendere manu brachium; sed primum residere hilari uultu, perscrutarique, quemadmodum se habeat; et si quis eius metus est, eum probabili sermone lenire; tum deinde eius carpo manum admouere. Quas uenas autem conspectus medici mouet; quam facile mille res turbant! - - - Igitur intueri quidem etiam ista,* (uenas et calorem) *oportet; sed his non omnia credere.* Cum uero SENECA satis habuerit, uel unico exemplo ostendere, quam expediat, et aliquando necesse sit, ut Medicus ipse hominis curandi uires aut morbum, coram exploret; ita caue, putes, sufficere tunc,

(l) Compend. Anatom. pag. m. 9. (m) Libr. III. cap. 6.

tunc, solam tangere, uel tentare arteriam. Ipso docente HIPPOCRATE, parente artis medicae, (n) χρώματος μεταβολή. σφυγμοί. ψύξις. παλμοί. σκληρυσμὸς δέρματος. νεύρων. ἄρθρων. Φωνῆς. γνώμης. σχῆμα ἑκούσιον. τρίχες. ὄνυχες. τὸ εὔφορον. ἢ μή, οἷα δεῖ. i. e. *Coloris mutatio, pulsus, refrigeratio, palpitationes, cutis durities, neruorum, articulorum, uocis, mentis figura uoluntaria, pili, ungues, tolerandi leuitas, aut secus, et qualia oportet, sunt consideranda.* Imo, multo plura attendenda sunt a prudenti medico, quae quoniam in accuratiore Σημειωτικῇ pertractantur, hoc loco exponere uelle, nimis intempestiuum foret. Vt uero SENECA indicaret, praesentiam Medici, non solum ad regulas diaeteticas, accuratius praescribendas, quibus et praesens sanitas conseruetur, et futuri imminentesque morbi auertantur, et ualetudinariorum uires reficiantur; sed etiam ad therapeutica, et chirurgica remedia circumspectius adhibenda, peropportunam esse; utitur breuitatis caussa, uel unico exemplo *temporis, cibi, balneique eligendi;* cum nonsolum cibi, sed et potus, motusque, et aliarum rerum eligendarum non tantum tempus, uerum etiam modus, qualitas, et quantitas, atque alia ad medicinam solidiorem pertinentia, attendi debeant. Sic uero, e. g. Medici praesentes iudicabant, decernebantque, an et quando Plinio Secundo, ardenti febre laboranti, expediret, uti potione, itemque balneo. Ipse enim PLINIVS, (o) *cum perustus*, inquit, *ardentissima febre, tandem remissus, unctusque, acciperem a medico potionem, porrexi manum, utque tangeret, dixi; admotumque iam labris poculum reddidi. Postea, cum uicesimo ualetudinis die balneo praepararer, mussitantesque Medicos repente uidissem, caussam requisiui: responderunt, posse me tuto sanari, non tamen sine aliqua suspicione.* Balneorum usum

 uete-

(n) HIPPOCRAT. *de humoribus, pag.* 47, edit. Foes.

(o) PLINIVS, *Libr.* VII. *Epistol.* I.

ueteribus fuiſſe frequentiſſimum, quis eſt, qui neſciat? Iis autem generatim ob quatuor potiſſimumm cauſſas utebantur; nempe, tradente CLEMENTE ALEXANDRINO, (p) ἢ καθαριότητος ἕνεκα, ἢ ἀλέας, ἢ ὑγείας, ἢ τὸ τελευταῖον ἡδονῆς. i. e. *Siue ob corpora mundanda; aut tepefacienda; ſiue ob ſanitatem; ſiue denique ob uoluptatem.* HIERON. MERCVRIALIS, (q) *calidis*, inquit, *balneis utebantur maiores ad leuandas laſſitudines, nec non ad corpora emollienda; quae ideo ἀνθρωπογναφεῖα uocarunt. Calidis et tepidis ad conciliandum ſomnum; frigida lauabantur, et ob uoluptatem, et ut robuſtiores redderentur, calorque naturalis intro repulſus maior euaderet; ideoque fere poſt calidas balineas ea adhibebatur.* Summa igitur huius ſententiae, quam ex SENECA propoſui, huc redit, ut teneamus, ad circumſpectiorem et feliciorem medicinam faciendam utique pertinere, ſi medicus eum, quem curandum ſuſcepit, ipſe coram intueatur, obſeruet, et exploret. Quod conſilium ipſe, qui nunquam ſatis laudari poteſt, HIPPOCRATES (r) his uerbis ſuggeſſit: Εἰ μὲν οὖν παρείη τὶς καὶ ὁρώη, γινώσκοι ἂν τὸν ἄνθρωπον, ἐκδύνοντά τε καὶ ἐν τοῖσι γυμνασίοισι γυμναζόμενον, ὥς τε φυλάσσειν ὑγιαίνοντα, τῶν μὲν ἀφαιρέων, τοῖσι δὲ προσιθείς. μὴ παρεόντι δὲ, ἀδύνατον ὑποθέσθαι, ἐς ἀκριβείην σῖτα καὶ πόνους. h. e. *Si igitur quis praeſens adſit, et inſpiciat hominem exuentem ſe et in gymnaſiis exercentem, is utique nouerit, haec quidem detrahendo, illa uero adiiciendo, ut ſanum ſeruare oporteat. Qui uero minime praeſens adfuerit, is exacte cibos et labores praeſcribere non poterit.* Quam uero ob cauſſam Medici praeſentia ſit exoptanda, THOMAS expoſuit BARTHOLINVS. (s) *Praeſentiam medici*, inquit, *plurima expoſcunt: morbi ſtatus, et tempora, cauſſarum notitia, aegri temperies, conſuetudo, habitus corporis et animi, accidentia* *prae-*

(p) Libr. III. Paedag. cap. 9. (q) de arte Gymnaſt., Libr. I. cap. 10. (r) de Vict. Ration. p. 341. edit. Foeſian. (s) In Paralytic. N. T. ſecund. p. 33.

praesentia, imminentia, et reliqua signorum sylloge. Quibus ignoratis, ne dituillitio aestimauerim, seu medicum, seu susceptam curationem. Ea propter etiam fidem habere possumus Clariss. BOHNIO, (*t*) dicenti: *Ipsemet expertus testor, me saepius unico momento penes illum (sc. aegrum) agendorum plus obseruasse, quam prolixiores ministrorum ministrarumue relationes me docere poterant: et, innuentibus hinc inde Hippocrate ac Celso, uix ullus forsan morbus datur, in quo cum aegro ipso conferre, eundemque interrogare, necessarium haud fuerit.* Nec mirum: nam uix ullum inuenias Medicum, qui non saepissime conqueratur de manca interdum, qua erudiri debet, epistola: cum utplurimum multa, quae non ad morbi historiam et notitiam pertinent, inutiliter sint interspersa; utilissimae e contrario et maxime necessariae circumstantiae, quae de praesenti morbo Medicum certiorem facere deberent, omissae. Quo accedit, quod nonnulli interdum etiam, aut propter uerecundiam, aut alias ob caussas, (*u*) in litteris aliquid omni studio praetereant, aut dissimulent, ne littera scripta, quae manet, aliorum forte oculis exponatur, et ne ipsorum morbus, morbique caussa, aliis innotescat. Iam uero, quid sentiamus de peruersa et inepta illorum consuetudine, qui ne quidem per litteras, aut internuncios, Medico morbi sui rationem significant; cum sibi persuasum habeant, ualetudinem suam ex sola urina satis dignosci posse? Quamquam et ipsi internuncii aliquando tam rudes, tamque inepti sunt, ut interdum non solum peruersa narrent; uerum etiam risu dignos errores admittant, quales PETRVS notauit KIRSTENIVS. (*vv*) *Caueas*, inquit, *ne adstantes tui, si eos, consilii petendi gratia, ad Medicum mittas, sint imprudentes, et obliuiosi, ita, ut*

(*t*) De Offic, medic. dupl. Cap IV p. 99. (*u*) Vid. Differt. de confessione aegri erga medicum sub Praesid. D. D. ALBERTI, Halae 1724. edit. (*vv*) Libr. de uero usu et abusu medicinae, Tract. III. cap. 3.

ut; cum medicus imperet assumtionem coriandri, *tibi exhibeant* calendaria? *aut si formulas medicamentorum praescriptas porrigat, quas ad pharmacopolium deferre deberent, ut praescripta praeparentur remedia, ipsi stolidi, iusculis uel edulis chartas illas impositas tibi exhibeant.*

II.

SENECA, *Epistol. LXXV.*

Non quaerit aeger medicum eloquentem, sed sanantem.

HAud sane haec sententia ita est explicanda, ac si per *Medicum eloquentem*, possit intelligi Medicus uerbis sanans. Quae sanandi ratio, si uera et efficax existeret, dubium non est, quin etiam ab aegrotante exposceretur. Equidem, praeter alios, eam admisisse uidetur THEOPHRASTVS PARACELSVS, (x) ubi tradit, *naturam uires suas in uerba imponere, sicuti in herbas et radices.* Cuius generis curationis, ex antiquis etiam, CATO (y) nobis exemplum suppeditauit. *Luxum si quid est*, ait, *hac cantione sanum fiet: harundinem prende tibi uiridem pedes IIII, aut V, longam. Mediam diffinde, et duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare: In alio S. F. motas uaeta daries dardaries astataries dissunapiter, usque dum coeant. Ferrum insuper iactato: ubi coierint, et altera alteram tetigerit; id manu prende, et dextra sinistra praecide. Ad luxum, aut ad fracturam alliga, sanum fiet. Et tamen quotidie cantato in alio S. F. uel luxato. Vel hoc modo: Huat haut haut ista sis tarsis ardan-*

(x) Libr. I. *Phil. sagac.* cap. VI. (y) De *Re rustic.* cap. CLX. ex praestanti editione V. C. GESNERI.

dannabon donnaustra. Verum talia nequaquam ad *eloquentiam*; sed potius ad superstitiosam, aut magicam, barbariem pertinent. Etenim, quod recte scripsit ROPMA, in *notis* ad istum CATONIS locum, *carmina et uerba contra morbos ualere, sapientissimi cuiusque fides respuit*; sed uulgus, sine rerum sensu, et ulla certa cognitione, credit, experiturque aliquando optatum effectum. Cuius uanae persuasionis exempla refert VARRO, *Libr. I. cap. 2.* PLINIVS, *Libr. XXVI Histor. natur. cap. 60*; et *Libr. XXVII. cap. 12.* AMMIANVS MARCELLINVS, *Libr. XXIX.* Dispiciendum igitur est, quis alius dicatur SENECAE *Medicus eloquens?* Equidem, ex sententia CATONIS, (z) *Orator, uel uir eloquens, est uir bonus, dicendi peritus.* Ac, quod CICERO (a) tradit, *eloquentia est una de summis uirtutibus, imo apte, et distincte, ornateque loquens sapientia.* Sed dubito, an talem eloquentiam intelligat SENECA, nisi ea fuerit ab omni peritia medendi seiuncta? Si quis enim est uir uere bonus, uereque sapiens, ille ipse eloquentiam, qua praeditus est, non adhibebit ad sanandum, ubi eam nihil prodesse, nec ad sanandum ualere, nouerit. Persuasum itaque mihi potius habeo, SENECAM fortasse innuere *eloquentiam* quandam *declamatoriam*, quae aliquid habeat accersitum, ac fictum, et saepe cum imprudentia sit coniuncta, ac quae se magis, quam res, ostendat. Haec est illa apparens et affectata *eloquentia*; quae *loquentia* potius, et *loquacitas*, et *garrulitas*, et quiduis aliud, est dicenda, quam *eloquentia*; prout SALLVSTIVS, (b) dixit, in Catilina *satis* fuisse *loquentiae*, *sapientiae parum.* Quod discrimen luculenter ostendit PLINIVS. (c) IVLIVS CANDIDVS, inquit, *non inuenuste solet dicere, aliud esse eloquentiam, aliud lo-*

(z) Vide PLINII *Epist. 7. Libr. IV.* et QVINCTIL. *Libr. VII. institut. Orator.* cap. I.
(a) *Partit. Orat. pag.* 236. et de *Orat.* 147. (b) *in Catilina*, cap. 5.
(c) *Libr. V. Epistol.* 20.

quentiam. *Nam eloquentia uix uni, aut alteri, imo, si Marco Antonio credimus, nemini; haec uero, quam Candidus loquentiam uocat, multis, atque etiam impudentissimo cuique, maxime contingit.* Tales medicos, loquaces nempe, quomodo quaerat aegrotus; quos ne quidem satis aequo animo ferre possit? Hi sunt eius generis Medici, qui, si ad aegrotantem uocantur, nescio quos ineptos, ridiculos, et ad morbum minime pertinentes, sermones habeant. Cuiusmodi garrulitatem ut fugiant, CASPARVS HOFFMANNVS, (*d*) decus quondam huius Academiae, diligenter monuit. Et IO. quoque IAC. SCHARANDAEVS (*e*) prudenter praecipit, ne Medici, *ut loquaculi tonsores, cum aegro, aut assidentibus, garriant.* Alioquin, quod prouerbio dicitur, *garrulus Medicus aegrotanti est alter morbus.* (*f*) Facundia quidem, et uera eloquentia, tempestiue adhibita, uti omni hominum generi, ita et Medicis, maximo est ornamento; (*g*) sed, ut ea faciat ad iucundam curationem, et aegrotanti prosit, nec molesta accidat; tunc necesse est, ut, cum solida medendi scientia, ac cum usu et exercitatione, sit coniuncta: alias ualet illud, quod PETRVS CASTELLVS (*h*) dixit: *Medicum, qui profiteatur elegantiam sermonis, atque dicendi artem, saepissime in medendo minus ualere, quam barbare loquentem.* Hoc idem est, quod CELSVS (*i*) tradidit: *Morbos non eloquentia, sed remediis, curari. Quae si quis elinguis usu discreta bene norit, hunc aliquando maiorem medicum futurum, quam si sine usu linguam suam excoluerit.* Idem sensit LVCIANVS, (*k*) cuius uerba, ut chartae parcam, latine facta addere lice-

(*d*) *Isagog. medic. pag.* 78. (*e*) *de modo et ratione uisendi aegros, cap.* VI. *pag.* 122.
(*f*) D. D. STOCKIVS, in *Dissert.* de Temperantia medicorum, §. 8.
(*g*) Vide Celeberr. HEVMANNI *Programma de eloquentia medici.*
(*h*) *Optim. medic. Spect.* II, pag. 28. (*i*) *in praefatione*, pag. 10. edit. Almelou. (*k*) in *Hippia*, sub initium.

licebit. *Prudens aegrotus*, inquit, *eos Medicos non accerset, qui quam optime de arte disserere possunt ; sed qui in eius usu se exercuerunt.* Sed audiamus adhuc ipsum SENECAM, in eadem epistola sententiam suam omnium optime explicantem! *Non quaerit aeger*, inquit, *medicum eloquentem ; sed sanantem. Sed si ita competit, ut idem ille, qui sanare potest, compte de his, quae facienda sunt, disserat, boni consulet : non tamen erit, quare gratuletur sibi, quod inciderit in medicum etiam disertum. Hoc enim tale est, quale, si peritus gubernator etiam formosus est.* etc.

III.

SENECA, *Epistol. II.*

Nihil aeque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio.

SVnt omnino ex medicis nonnulli, quibus salutari hoc consilio quam maxime opus est ; si qui inprimis in praescribendis formulis nimis sunt faciles, liberalesque. Putant nimirum quidam, inutilem eam uideri aegrotantium uisitationem, si non semper aliquid etiam noui insimul praescribant. Alii, ambitione, uel φιλαυτία, impulsi, ne uideantur in arte parum uersati, quotidie saepius nouas exhibent formulas, aut, si quando aduocantur ab eiusmodi aegro, qui unico medico haud contentus est, mutare non raro remedia prioris medici solent, etiam si sint salutaria : ne modo uideantur fuisse inutiles, et praeter necessitatem aduocati. Rursus alii, tum Medici, tum aegrotantes, nimis sunt impatientes, adeo, ut, nisi medicamentum statim desideratum edat effectum, dicto citius

id

id uarient, haud recordantes, SENECAM alibi, (*l*) haud praeter caussam, monuisse: *remedia non prodesse, nisi immorentur*. Nihil dicam de illis, qui inconstantiam pariter ac ignorantiam suam, eo ipso produnt, dum remediorum suorum incerti frequentius eadem mutant. Rationalis autem et prudens Medicus nunquam immemor est illius oraculi HIPPOCRATIS: (*m*) *Πάντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ᾽ ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.* i. e. *Omnia secundum rationem facienti, si non succedant secundum rationem, non est mox transeundum ad aliud, manente eo, quod ab initio uisum fuit.* Imo, GALENVS (*n*) ipsius SENECAE hanc sententiam legisse, exinde coniicio, quia idem consilium tot fere uerbis Graecis expressit; quot Latinis usus est SENECA. Ex recentioribus medicis multi huic sententiae calculum suum adiecerunt, quorum unicum saltem adduco FRID. HOFFMANNVM, Germaniae insigne ornamentum, cuius de *methodo medendi Lex XIV* (*o*) ita se habet: *A crebra mutatione medicamentorum abstinendum, et securis atque probatis remediis insistendum; licet non statim conspicuum afferant leuamen.* Id autem monendum est, praeceptum hoc non ita rigorose esse explicandum, ut non interdum, uarias propter circumstantias, opportuna remediorum mutatio omnino locum habeat. Sic enim saepissime accidit, ut malo quodam diuturno et chronico laborantes, ab unico, eoque saepius repetito medicamine, nauseae molestiam facile suscipiant; quae si superuenit, tunc medicus non peccat, si *remedii mutationem* instituat, et ad palatum aegrotantis id accommodet. Quin immo, interdum opinioni hominum aliquid est concedendum, quando aegri ipsi uariationem auide desiderant, cum *proprium aegri sit*, perhibente SENE-

(*l*) *Epistol.* XI. (*m*) *Aphoris. Sect. II. aphor.* 52. (*n*) I. *de dieb. crit. cap.* II.
(*o*) Medicin. ration. systema. Tom. III. Sect. II. cap. II. §. 20.

SENECA, (*p*) *nihil diu pati, et mutationibus, ut remediis, uti.* Haud pauci namque putant, *nisi quis*, referente BOTALLO, (*q*) *ad se introgressus, uel cataplasma apposuerit, uel perfuderit, uel adusserit, uel clysterium indiderit, uel uenam inciderit, uel cucurbitulas adiunxerit, uel confricuerit, uel nutrierit, aut huiusmodi quid factitarit, nihil ab ipso gestum esse artificiosum.* Mutatio etiam haud reprehendenda, si quando ipsius morbi ratio eam exigit, postulatque. Sic enim ipse CELSVS: (*r*) *in acutis morbis*, inquit, *cito mutetur, quod nihil prodest.* Imo, haud raro et tunc *remediorum mutatio* requiritur, si subnascantur symptomata; aut si morbus praesens in alium morbum transeat; item et alias ob caussas, quas PRIMEROSIVS (*s*) adduxit. Quamdiu autem prior morbus adhuc permanet; nulla *crebra mutatio* fieri debet, praesertim in medendi methodo, atque ubi medicus morbum iam bene cognouerit, indicationes conuenientes formauerit, et remedia elegerit efficacia. Quando uero, ob rationes quasdam antea expositas, mutatio est instituenda; tunc expedit, ut Medicus non tam medendi methodum, quam remedia, seu indicata, mutet. Id quod duplici ratione fieri potest: aut enim mutari possunt formulae, ita, exempli caussa, ut ex *puluere* fiat *potiuncula*, aut *electuarium*, aut aliud medicamenti idonei genus; et nihilominus tamen maneant ingredientia; aut si ingredientia, secundum qualitates odoris, saporis, aut coloris, quantum fieri potest, mutentur; quae tamen eandem uirtutem exerant. Qui ita mutat, *sanitatem non impedit*: is autem plurimum, qui, ob caussas supra recensitas, temere mutat.

C IV.

(*p*) *De Tranq. anim. cap.* 11. (*q*) *De Med. et eius muner.* (*r*) *Libr. cit. Libr. III, cap.* 1. (*s*) *De Error. uulg. Lib. IV. cap.* 4.

IV.

SENECA, *Libr. IV. Contr. 5.*

Nihil aegris magis prodest, quam ab eo curari, a quo uolunt.

OMnino ueritatis fundamento nititur haec sententia. Amor namque, familiaritas, et fiducia erga medicum, plus fortasse, quam putares, ad feliciorem curationem conferre possunt. Vnde idem SENECA *Rhetor*, loco citato, exemplum affert filii, medicinae studiosi, qui patrem aegrotantem feliciter sanauerat, quem alii medici negarant posse sanari. Vbi idem filius recte dixit patri: *Quaeris, quomodo te sanauerim! Non tibi medicus, sed filius, profuit. Desiderio laborabas: gratum tibi erat, quicquid meis manibus acceperas. Vt primum intraui, recreatus es.* Hoc ipsum consilium multi Medici, et ante et post SENECAM, usu et experientia docti, approbarunt. HIPPOCRATIS, GALENI, AVICENNAE, testimonia huc spectantia, Vir quondam in arte medica incomparabilis collegit, BOHNIVS; (*t*) item IO. FRIDERICVS A PRE, peculiari disputatione *de confidentia in medicum*, (*u*) uiam et rationes, quibus Medicus agroti amorem et fiduciam sibi conciliare possit, nobis commonstrauit. Neque adeo de nihilo esse uidetur hoc prouerbium: *Opinio facit medicum.* Opus autem est, ut aegrotus sit prudens, et non a *medicastris*, *empiricis*, et *circumforaneis*, aut *mulierculis*, aliisque huius farinae hominibus, auxilium petat. Sed si quis morbo laborans, in ciuitate aliqua uitam agit, in qua plures medici, in arte exercenda periti, et felices, atque eruditione et scientia fere pares, inueniantur; tunc aegrotus optime sibi suaeque saluti consulet, si eum inprimis eligat ad sanandum, quem aut magis sibi habeat familiarem, impensiusue amet; aut in cuius dexterita-

(*t*) *de Offic. med. cap.* IV. p. 46. (*u*) Resp. FROMHOLD, Erf. 1710.

teritate plus ſpei ac fiduciae collocet. Quod etiam fortaſſis CELSVS uoluit, quando in fine praefationis ſuae, in libro de *Medicina* dixit: *Cum par ſcientia ſit, utiliorem tamen medicum eſſe amicum, quam extraneum.* Cui alii quoque aſſentiuntur. (*vv*) Supra etiam laudatus PETR. KIRSTENIVS (*x*) *Medicum*, inquit, *ſibi reddat amicum et familiarem. Vix enim dici poteſt, quantum medicus, alicui homini amicus ac familiaris, praeferri debeat nouo ac ignoto.* Nam, quo diutius et quo familiarius aeger uſus eſt Medico, ceteroquin docto ac perito; eo certior eſſe poteſt, tali Medico naturam ſuam, et *ἰδιοσυγκρασίαν* magis, quam extraneo, poſſe eſſe cognitam atque perſpectam. Iam, ſi et honeſta ſolatia uim medicinae habent, et quidquid animum erigit, etiam corpori prodeſſe ſolet: annon etiam praeſentia et affectus *Medici amici* uelut in remedium cedat? Certe SENECA *Philoſophus:* (*y*) *Nihil*, ait, *aeque aegrum reficit atque adiuuat, quam amicorum aſpectus; nihil aeque expectationem mortis ac metum ſurripit.* Neque hoc mirum nobis: multo namque maiori gaudio, medicum, quem deſiderat, aeger excipit; praecepta eius ſtrictius obſeruat; medicamenta libentius ſumit; ſibique perſuadet, hunc *Medicum* ſuum *familiarem* nihil eſſe praetermiſſurum, quod ad decumbentis ſanitatem inſtaurandam aliquid efficere ualeat. Sic ita animi affectus temperat, et dolorem aequiore fert animo. Quod inter alios etiam PAVLVS confirmat ZACHIAS (*z*). Quae omnia omnino ad recuperandam ſanitatem amiſſam ſuum conferunt ſymbolum, et morbo laborantibus egregie conueniunt atque proſunt.

(*vv*) In notis edit. Ienenſ. Celſi cum praefat. WEDELII adducitur PLAVTVS *Perſ.* IV, 4. 46. et HIPPOCRAT. DIONYS. 29. 30. 31. (*x*) Lib. cit. Tract. I. cap. I. § 6. (*y*) Epiſt. LXXIX. (*z*) Quaeſt. medic. legal. Tom. XI. Libr. VI. T. I. Quaeſt. VI. n. 7.

L*Audatus* Seneca *eſt* uitae morumque magiſter;
Nunc Senecam Medicum *concelebrare iuuat.*
Corporis et mentis medicinam iunxerat idem:
O bene, qui pariter corpore, mente, ualet!
Gratulor ergo Tibi merito, chariſſime Frater,
Corporis atque animi cui quoque cura placet!

Fratri dilectiſſimo,
induſtriae experimentum publice facienti, congratulatus, proſperosque rerum ſucceſſus ex animo apprecatus, dabat

D. IO. IAC. KIRSTEN, PRAESES.

ERgo sophi (laetor) medici, medicique sophi, sunt;
Nam Seneca est medicus, KIRSTENIVSque sophos.

Haec Nobilissimo et Doctissimo DOM. RESPONDENTI gratulationis caussa scripsit

M. IOH. ANDR. MICH. NAGEL.

QVam pulchre Senecam sequeris doctrina operaque:
Ast utrumque tamen uincis in arte TVA.
De TE, KIRSTENI, *breuibus qui dicere tentat,*
Doctum TE *Medicum Philosophumque uocet.*

Praenobilissimo praestantissimoque DOM. RESPONDENTI, Fautori suo atque cognato aestumatissimo; specimen eruditionis gratulatur

BERNHARDVS IACOBVS DEGENIVS, Nor. Opp.

EX Senecis Medicum mirum est fecisse duobus:
Qui facit id, multa sedulitate uiget.
Hinc quia nunc operi, KIRSTENE, industrius instas;
Eximium specimen gratulor inde Tibi.
Philosophos Medicis si post adscripseris omnes,
Augebit laudes sic labor ipse Tuas.

Nobilissimo Praestantissimoque DNO. RESPONDENTI, Senecas Medicos feliciter et docte defendenti, ex animo gratulari debuit, uoluit

GVSTAVVS GEORGIVS ZELTNERVS,
Med. Stud. Opp.

DVm Senecam medicum docto certamine monstras,
Ipse TVAS *dotes, ingeniumque probas.*
Nam certo constat: nulli sine Marte triumphi,
Ac nullae laudes absque labore decent.
Macte bonis animi, doctam conscende cathedram!
Eximios plausus, dulcis Amice, feres.
Egregios ausus mox praemia larga sequentur,
Digna Tuis studiis, digna labore Tuo.

Ita Pereximio DOM. RESPONDENTI, Medicinae omnisque cultioris doctrinae cultori strenuo omnium longe dilectissimo gratulari suamque obseruantiam testari uoluit

IOH. DANIEL CHRISTOPH. FISCHERVS,
Med. Stud. Oppon.